



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

XXIV. Nonnumquam solius Diaboli poenas fore aeternas asseverat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

ille, de quo & Esaias dicit in fine Prophetia sua: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguitur & quod Homil. 35. in Luc. Quod si magnam pecuniam debuerimus, sicut ille qui scribitur decem milia talenta debuisse, quanto tempore claudamur in carcere, donec reddamus debitum, non possum manifeste pronuntiare. Si enim qui parum debet, non egredietur nisi exolvat minutum quadrantiem; utique qui tanto debito fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum debitum secula numerabuntur. Quintam certam aliquando, & immutabilem felicitatem futuram concedit libr. 4. *Ἐπι ἀγῶν*, cap. 2. Sed & conminationes postea sunt: his qui prevaricati fuerint Legem; necnon & his qui purificatione indigebant, diversa purificationum genera, velut qui frequentius essent pollutandi, traduntur; ut per hac tandem ad illam unam purificationem veniant, postquam pollut ultra non licet.

XXIV. Vti possumus praeerea ad tuendum aliqua ex parte Origenem testimonio quodam, quo damnatis quidem aditum ad beatitatem patefactum aliquando iri statuit, Diabolo autem penitus interclusum. Habetur illud libr. 8. in Epist. ad Rom. ibique Luciferi casum à lapsu Israelitarum differre asseverat: *Illorum enim, inquit, vel in fine saeculi conversio erit, tunc cum plenitudo Gentium subintraverit, & omnis Israel servus fiet: istius autem qui de caelo cecidisse dicitur, nec in fine saeculi erit ulla conversio.* Inde est quod vehementer succenset in Epistola ad Amicos suos Alexandrinos iactatum fuisse in vulgus se dicere, Patrem malitiae ac perditionis, & eorum qui de regno Dei ejiciuntur, idest Diabolum esse salvandum: quod, inquit, ne aliquis quidem mente motus & manifeste insanens dicere potest. Propterea Hieronymus Apolog. 2. in Rufin. cap. 5, palam cum hoc crimine exolvit, quod alias ipsi per sepe obiicit: *Asserit Candidus, inquit, Diabolum pessime esse naturam, & qua salvari numquam possit; contra hoc recte Origenes respondit non cum peritura esse substantia, sed voluntate propria corruisse, & posse salvari.* Hoc Candidus verit in calumniam, quasi Origenes dixerit Diaboli naturam esse salvandam. Quod ille falso objecerat, hic refutat.

XXV. Nempe rebus ab Ecclesia nondum hoc tempore definitis varia animo agitavit Origenes, quod & ab aliis subinde Patribus factum observamus. Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone decrevisse videtur poenas Damnatorum per mortem animarum esse finiendas: *ἀλλὰ καὶ οὐδὲν ἔστιν ὅτι πάντες τῆς ἀπορίας ἐξ ἡμετέρας καὶ ἀλλοτρίων τῶν ἀπορίας ἀλλὰ τὸ ἐν τῇ ψυχῇ ἀπορίας ἐκ κρείττονι πρὸς τὸ μὴ εἶναι, τὸ δὲ ἀπορίας καὶ ποιητικῆς ἐκ παλαιῶν, ὅτι καὶ οὐκ ἀπορίας ἐκ παλαιῶν ἔστιν ὅτι καὶ οὐκ ἀπορίας ἐκ παλαιῶν.* Verum enimvero neque mori dico animas omnes: revera enim malis optandum id & opportunum esset. Quid ergo? piorum quidem in meliori loco manere, D iniquas autem & malas in pejori, iudicii tempus expectantes. Atque ita quae digna Deo apparuerint, non moriantur amplius, illa vero puniuntur, quamdiu eas & esse & puniri Deus voluerit. Eandem arripit doctrinam Irenaeus libr. 2. cap. 64. ubi animas non secus ac alia Dei opera tamdiu superesse & perseverare asserit, quoad usque ea Deo & esse & perseverare voluerit: nec multo post; Non enim ex nobis, inquit, neque ex nostra natura vita est, sed secundum gratiam Dei datur: & ideo qui servaverit datum vita, & gratias egerit ei qui praeiitit, accipiet & in saeculum saeculi longitudinem dierum; qui autem abiecerit eam, & ingratus extiterit factori ob hoc quod factum est, & non cognoverit eum qui praeiit, ipse se privas in saeculum saeculi perseverantia. Arnobius animas tormentorum diuturnitate & saevitia consumtum iri & extinctum arbitratum est; atque hanc esse mortem aeternam impiis hominibus tam saepe in Scriptura intentatam: piorum vero & sanctorum hominum animas felici immortalitate ac vita aeterna petfrui. Quamobrem animas humanas ancipitis esse, mediaeque vitam inter & mortem ac ambiguae naturae libro secundo iterum iterumque repetit. Gregorius Nazianzenus Orat. 39, Hareticos difficilem & diuturnum ignis baptismum suscepturos minatur, nisi ab haeresi discedant, quo igne omnis malitia sic tamquam foenum exurenda sit. Oratione vero sequenti dubitat utrum sempiternae Damnatorum poenae futurae sint, an vero à Deo pro sua humanitate brevian- da. Narrat profecto Symeon Metaphrastes in vita S. Cyriaci cap. 10, cum à Cyrillo monacho quareret Cyriacus, quanam praecipue dogmata tuerentur Nonnus, Leontius, alii- que Novae Laurae Origenista, respondisse Cyrillum affirmare illos *Dogmata de praesistentia, & restitutione in eundem statum esse media & ab omni periculo aliena; dicentes illa eis ad hoc ferre testimonium, qua alicubi in suis Apologeticis magnus Gregorius ita reliquit scripta: Mihi videtur res non vilis nec contemnenda, donec in tempore unicuique dimensum orationis, & dispensare in iudicio veritatem nostrorum dogmatum, qua de mundo, aut de mundis philosophantur, de materia, de anima, de intelligentia, & naturis intelligentibus, tam praestantioribus, quam deterioribus; de providentia qua omnia colligat qua videntur evenire ratione, & quaecumque prae rationem inferiorum & humanam: & quae praeerea de prima nostra constitutione, figurisque, & veritate, & testamentis, & Christi primo adventu, & secundo: in his enim & assequi est non inutile, & non assequi vacat periculo.* Hoc Origenistis praesidium eripere conatur Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus; sed quidquid tamen afferat, videtur id sibi voluisse Gregorius has quaestiones nondum satis liquidas, nec per Ecclesiam fuisse circumscriptas. Quid hoc est autem quod ibidem subiicit Cy-